

**CENTRE FOR MEDIEVAL STUDIES
UNIVERSITY OF TORONTO**

M.A.. Level Medieval Latin Examination

14 April 2003

 Translate **ALL FOUR** passages. The examination has been set for two hours, but you may take an extra hour if you wish. Each question will be given equal weight in the final assessment. The use of dictionaries is **NOT** permitted. Please write on alternate lines, on one side of the paper only. **DO NOT USE PENCIL.**

1. A Florentine prankster

Sed frater Deustesalvet de Florentia ex Ordine Minorum, qui more Florentinorum magnus trufator erat, optime “respondit stulto iuxta stultitiam suam, ne sibi sapiens esse videretur,” Prover. XXVI. Nam, cum quadam die ad domum Praedicatorum ivisset et illi invitassent eum ad prandium, dixit quod nullo modo ibi staret, nisi ei darent de tunica fratris Iohannis, qui in domo illa erat, ut pro reliquiis reservaret. Promiserunt et magnam petiam de tunica sibi dederunt, cum qua post prandium purgato ventre posteriora terxit, et petiam deiecit in stercora. Postmodum accipiens perticam stercora revolvebat, clamans et dicens: “Heu, heu! Succurrite, fratres, quia reliquias sancti requiro, quas perdidit in latrina!” Cumque vultus suos inclinassent ad orificia camerarum, cum pertica stercora revolvebat valenter, ut stercorum fetorem sentirent. Infecti itaque tali odramento erubuerunt confusi, cognoscentes se a tali trufatore delusos.

2. Death of Saint Lambert

Post septem annos Feramundus expulsus est et sanctus Lambertus iubente Pipino ad sedem propriam est reductus. Cum autem sicut prius uerbo et exemplo polleret, insurgentes in eum duo maligni eum grauiter insectare ceperunt, quos amici pontificis ipsos sicut meruerant occiderunt. Eo tempore Lambertus Pipinum de quadam meretrice quam tenebat plurimum increpauit. Dodo autem quidam consanguineus eorum qui occisi fuerant et frater ipsius meretricis domesticus aule regie congregato exercitu domum episcopi circumquaue obsedit uolens occisorum necem in sanctum uindicare Lambertum. At cum puer Lamberto in oratione posito nuntiasset, ille confisus in domino ut eos expugnaret mucronem arripuit, sed ad se rediens gladium de manu proiecit melius iudicans ut persistendo et moriendo uinceret quam ut sacratas manus de impiorum sanguine macularet. Tunc uir dei suos admonuit ut peccata sua confiterentur et mortem patienter sustinerent. Statimque impii irruentes sanctum Lambertum in oratione prostratum peremerunt circa annos domini DCXC.

3. Theseus, Pirithous and Hercules

Theseus, Aegei filius et Aethrae, quum a matre sua educatus esset, et ad puerilem venisset aetatem, petiit Atticam regionem ad cognoscendum patrem; et, ne sine laude ad eum perveniret, latrociniiis Graeciam liberavit. Medea autem, repudiata ab Iasone, Aegeo nupta persuasit aduenientem juvenem tauro opponere, qui vastabat Atticam regionem, dicens futurum, ut ab eo privaretur regno. Theseus vero, tauro interfecto, duplicavit regi timorem. Dein invitatum ad epulas eum perdere voluit. Tandem agnito gladio, quem apud Aethram olim reliquerat, libens agnovit filium, et Medeam, quae fuerat insidiarum causa, profugere coegit. Post mortem vero patris ipse Athenis regnum obtinuit; consensitque Pirithoo, Ixionis filio, faciente virtute fiduciam, ut Proserpinam raperet. Qui quum descendissent ad inferos, ad saxum religatus est Pirithous nexibus draconeis; quas in perpetuum patitur poenas. Hercules vero, propter Cerberum ad infernum descendens, quum comperisset, Theseum, carissimum sibi juvenem, haerentem in saxo, poenas luere; ut quidam dicunt, exorato Dite, ei veniam impetravit; ut alii vero, tam valide evellit eum a saxo, ut pars natium ejus haereret in saxo.

4. New Year

Anni novi rediit novitas,
hiemis cedit asperitas,
breves dies prolongantur,
elementa temperantur.
subintrante Januario
mens estu languet vario,
propter puellam quam diligo.

Prudens est multumque formosa
pulchrior lilio vel rosa,
gracili coartatur statura,
prestantior omni creatura,
placet plus Francie regina.
mihi mors est iam vicina,
nisi sanet me flos de spina.

Venus me telo vulneravit
aureo, quod cor penetravit.
Cupido faces instillavit,
Amor amorem superavit
iuvencule pro qua volo mori.
non iungar cariori,
licet accrescat dolor dolori.

Illius captus sum amore,
cuius flos adhuc est in flore.
dulcis fit labor in hoc labore,
osculum si sumat os ab ore.
non tactu sanabor labiorum,
nisi cor unum fiat duorum
et idem velle. Vale flos florum!